



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De femina, quae sanctum ludam contempsit, cap. 61.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

DE DIVERSIS VISIONIBVS

sancto Ioanne Baptista, sicut Apostoli diligentibus se
præmium impendunt; ita suos contemptores quâdo-
que puniunt. APOLLONIUS: Da exemplum. CÆSARIUS:
Prius de sancto Bartholomæo præmittam vnum
miraculum, deinde quod petis subjungam exem-
plum.

CAPVT LX.

*De S. Bar-
tholomæo*

IN monte sancti Saluatoris iuxta Aquasgrani, nu-
per inclusa quædam defuncta est, quæ inter suas
reliquias, etiam dentem habuit sancti Bartholo-
mæi Apostoli. Hoc cum scisset sacerdos, qui ei missas
celebrabat, eumque postulasset, & illa non annuisset,
recessum minabatur, nisi saltem mediam ei partem
donaret: illa verò dentem illum diligens, & sacerdote
carere nolens, vt diuideretur consensit, licet inuitissi-
mè. Mirâ res; mox enim vt sacerdos cultellum denti
supposuit, ac si denovo sanctus pateretur, guttatim de
illo sanguis erupit: quo viso, sacerdos territus est, den-
temque inclusæ dimisit integrum. Ego verò eundem
dentem anno præterito vidi apud sanctimoniales in
Porceto. Quod quandoque Apostoli contemneres
se puniant, ecce exemplum.

CAPVT LXI.

*Apostoli
suos con-
temptores
puniunt.*

Matrona quædam specialem Apostolum habe-
re volens, cum eo modo, quo supra dictum est
de S. Andrea, per candelam beatum Iudam,
vt puto, extraxisset, irata, retro cistam candelam cum
nomine iactauit: volebat enim habere vnum de no-
minatis Apostolis, vt est sanctus Ioannes Euangelista,
sive beatus Iacobus. Cui nocte in somnis apparens,
durè satis corripuit, conquerens se ab ea contemptum,
& post cistam indignè projectum: nec sic quietuit, do-
nec verbis additæ sunt plagæ: integro enim anno le-
cto paralytica decubuit. APOLLONIUS: Licet sic
per sortes Apostolos eligere? CÆSARIUS: Sorte
Matthias Apostolus legitur electus, non tamen ideo
est electus, vt alijs anteponeretur, sed vt per eum duo-
denarius per Iudam diminutus suppleretur: puto ta-
men ab eadem electione huiusmodi sortes descendisse.

Act. 1.

Audiui

Audiui Coloniae quendam literatum sacerdotem, palam in ecclesia reprobrare tales electiones: Omnes, inquit, Apostoli aequè sunt sancti, & idcirco omnes a nobis aequè honorandi: quòd si alicui illorù specialis honor est exhibendus, beato Petro, per quem regio nostra conuersa est ad fidem, iudico esse impendendù; ipsum specialem Apostolù nobis Christus destinauit. Beatus verò Heribertus & successor eius Peregrinus, Colonienses Archiepiscopi, in ciuitate Colonia omnibus Apostolis vnã ecclesiam conuentualem condiderunt, in quibus omnibus simul aequalis honor idemque seruitium exhiberetur. Quãtum mereantur in ecclesia eadem Christo, eiusque Apostolis dignè seruientes, ex modico, quod sequitur, poteris pendere.

CAPVT LXII.

DVM incendium illud maximum, quod erat sub Adolpho Archiepiscopo, magnam partem ciuitatis Coloniensis consumpsisset, mulier quaedam, quae ecclesiae sanctorum Apostolorum pro sua mercede braxare consueuerat, domum ligneam propè positam habebat: cui cum incendium ex vicinis domibus propinquasset, filia eius, vasa, & supellectilem efferre coepit, quod vbi mater comperit, restitit dicens; Noli filia, noli, sed omnia refer in domum; sicque clausa domo mater spem habens in sanctis Apostolis, ecclesiam eorum adiit, sicque orauit; Sancti Apostoli, si vnquam vobis fideliter digneque seruiui, custodite domum meam & vasa vestra. Mira fides feminae, mira & virtus Apostolorum; qui propriam ecclesiam ex parte concremari permiserunt, braxatricis suae domum in medijs flammis positam, non sine admiratione multorum, illasam seruare curauerunt. **APOLLONIVS:** Valde honorandi sunt Apostoli, per quos mundus iste iudicabitur. **CÆSARIUS:** Hæc mihi reuocant ad memoriam ciuis cuiusdam dictum siue factum relatione dignum.